Crac. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Phil. Ord.
1643 2.

Lewicki Gabriel: Apollo vindemiarum autumnalium ex lauro philos. Facultatis in horto Almae Acad. Crac. petitarum expeditus.

APOLLO VINDEMIARVM AVTVMNALIVM

ex Lauro

PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS

in Horto

ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS

petitarum,

Jllustrissimo & Reuerendissimo Domino

D. PETRO GEMBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis gratia

EPISCOPO CRACOVIENSI DVCI SEVERIÆ

Cancellario & Patrono eiusdem Horti

obseruandissimo

votiuus

PER

GABRIELEM LEWICKI pub: S. Auth. Apost. Not. Art. & Phil. Baccalaureum, nuper in prima classe renuntiatum, dum secunda subueheretur,

Anno à partu salutifero 1643

expeditus.

CRACOVIÆ, Ex Officina Stanislaj Bertutowic.

In stemma inclytæ Domus Gembicianæ.



Diua, quid intentas nodoso, Fascia gyro?
Ergo datur gremio sarcina digna tuo?
Maturos LAVRI video (inquit Fascia) Botros,
Maturis igitur vincula necto Botris.
Inuictos Lauri brumáq; geluq;, racemos
Vinciam ego Inuictis Fascia fascis ego.
Vinciam; & in patulum Domini gremium dabo. Credo,
Dulcis ibi vinctis Fascia, Carcer *ero.*

Jllustrissimo ac Reuerendissimo Domino

D. PETRO GEMBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis gratia
EPISCOPO CRACOVIENSI DVCI SEVERIÆ
Domino, & Patrono benignissimo
perpetuam felicitatem.

TRisti hyeme squallebat luctuosa Diœcesis istius facies, Princeps Jllustrissime, cùm NAVEM ZADZIKOVIANAM in alto mortalitatis, fato grauante, demersam plorabat. Effudêre lugubres oculi æquor vnum, quo squallidæ oues Pastoris occasum, nisi ad Tuam resipuissent FASCIAM, æmularentur. Exulabat à vultu Vniuersi, decor, brumæ fatalis liuore perculsus; omnia suis orbata coloribus, nil nisi luctum, inter fluctus, loquebantur. Tandem lætum ver illuxit, cùm te SOLEM, diu ecclypsata, tandem ORIENTEM, suis effusa mænibus adorauit Cracouia, Ecclesiaq; Sponsum publico recognouit amplexu. Ver, inquam, tantò amænius, quantò funestiori hyemi contiguum fuit; eam Vniuerso attulerat metamorphosim, vt terra ipsa rigentibus emortua pruinis, ad Tuum non minùs conspectum, quàm statos cœli fauores, reuiuiscere videretur. Horti tunc suo luxuriabant decore; prata viridi lætitia gestiebant; tunc Ceres amæna comas suas brumali rigore confusas, Zephyro discriminante, explicabat. Illo tam felici Vere, Laurus Philosophica in Jagielloniano Viridario, tuis cognita radijs,

dijs, primùm gemmare cæpit; & tunc, quem nunc enixa est, partum, tuis auspicijs, primum concepit. Tibi nunc eundem sacrum debere esse censuit, à quo totum, quicquid Tibi dat, accepit. Diu fortè effæta iaceret concha ista, nisi Tuæ liberalitatis ad germinandum prouocaretur radijs. Tibi igitur Fructus iste deuotus esto, quem, vix dum tenella vite prodierat, Tua sibi FASCIA desponsauit, & nunc ipsum patenti sinu expectare videtur, vt complectatur. Non dedignetur augustum palatum tenuissima hæc bellaria, Tuis, SOL inclyte, cocta radijs, sub Tuis, Autumno iudice, auspicijs (vt spero) maturefacta, à Tuo nuper Perillustri Vicario aliquantùm prælibata, nec retractata. Pro Tua ipsa sanitate suam integritatem non inculpandè prostituunt, & tunc se viuere inceptura existimant, vbi pro Tua integritate conseruandâ absumantur. Viuant ergo illa in Te, & Tu in illis (si sufficiunt)

Viue Deo, Patriæq́; : Tuam, SOL inclyte, lucem
Secla per, affinis vehat, immortalia Phœbus.

Suæ Illustrissimæ & Reuendiss. Cel.

Clientum humillimus

GABRIEL LEWICKI
Art. & Phil. Bac.

APOLLO
VINDEMIARVM votiuus.

EIA nunc lætos mea metra luſus,
Eia iocundos mea plectra plauſus
Iuſſa feſtiui reſonate docto
Pollicis vngue.
Tuq; vernanti redimita myrto
Turba Muſarum, per amæna fidi
Forte Parnaſſi ſpatiata læto
Compita greſſu,
Linque pertæſas Heliconis vmbras;
Linque ſat potas Heliconis vndas;
Me ducem è docto comitare euntem
Palladis horto.
Me ducem dulci comitare onuſtum
Sarcinâ, è LAVRI Sophicæ racemis
(Judice Autumno) grauidis, decoro
Ordine, textâ.
Hanc ego auguſti patulâ reponam
Principis dextrâ; refugamq; prompto
Præſulis Magni gremio locabo:
Tu generoſâ
Vite fæcundam modulare Laurum,
Atq; onus lætis releua Camænis;
Non erit (credo) Dominis peroſa hæc
Sarcina palmis.
Ergo aue, Princeps, Lechicæ ſerenum
O Iubar terræ, Iubar inuidendum
Ætheri; quo non fuit vllus aſtris
Clarior axis.

Tu ſuper celſa reſidens curuli,
Phæbe, feſtiuus Lechiæ hoſpes, atra
Nocte ſquallentes viduæ penates
Vrbis, amænâ
Luce viſiſti; tepidoq; brumam
(Quæ, procelloſos vbi NAVIS inter
Nerei fluctus ZADZIKOVIANA,
Lucifer ille,
Occidit gratus, tetigitq; malo
Ima mortalis pelagi, rigebat)
Vere mutaſti, recreans tenellis
Aëra Coris.
Tunc minis brumæ, Borealibusq;
Ima Telluris ſtupefacta Diris,
Ad ſuas ſuadâ rediêre leges
Luce. rigentem,
Arua terſerunt facie pruinam;
Roſcido fulſit nemus omne lotum,
Amne; florenti generoſa riſit
Sylua iuuentâ.
Herba reclusâ tenerum profudit
Alueo germen; rediuiua pulchras
Edidit nardos, violaſq; lætis
Flora medullis.
Nec Ceres flauis inamæna cyrris,
Ad Tui tactum radij reuixit,
Texit & latè vaga fluctuanti
Iugera culmo.
Palladis noſtræ quoq; concitatum
Vere felici viguit roſetum.
Cedrus excelſi viguit reuoluens
Iura Tonantis.

Palma morbosis medicos propinans
Artubus succos; Machaoniaq;
Arte, perculsam reuocans salutem
Floruit illo
Vere. nec LAVRVS Sophicis amata
Cætibus, brumæ diuturniori
Torpuit somno; viruit suarum
Conscia legum:
Et tuis circum radiata flammis,
Ter nouem duxit grauidâ explicatos
Alueo botros. Tua, Phæbe, sunt hæc
Germina, Præsul.
Tu tuos ergo lege nunc racemos;
Solue Tu morsu facili iugatas
FASCIÆ vittas; placidisq; mollem
Nexibus ambi
Sarcinam, (ô Athlas, onus hoc lacertis
Quid Tuis?) mensas onus expiandum
Inter augustas, cape; prodigijsq;
Abde medullis.
Puluerem, si quo furibundus ipsos
Auster adspersit, roseo superni
Abluet largus Tibi Ganymedes
Nectaris amne.
Singulos sed iam decorare lætis
Præstat, ô Musæ, numeris racemos.
Ludat interpres chelys explicatis
Nomina metris.

V. ADA-

V. Adamus LAVRENTIVS Jaśiński actu Presb.

Anagramma

TV LAVRI ENS.

LAVRVS maturis circumuallata racemis,
Laurus, Præsuleam quæ petit vsq; manum,
Te primum genuit, primum ad fastigia vexit;
Te Pallas primo læta præire loco.
Felicem teneant hæc te fastigia; verè,
LAVRENTI, tali culmine dignus eras.
Tv Lavri Ens. Laurus Sophica arbos. Altiùs ergo
Debuit Ente arbor talis habere nihil.

V. MICHAEL Domżał

Anagramma

LECHIAM.

Ense ferox Michael, pictoribus; Arte, Minerua:
Ense hostis fusus, non minùs Arte, dolet.
Sed metuenda magìs nostro in Michaële Minerua est:
Ense ferox Michaël, Arte ferax Michaël.
Lechica te Michaël formauit in Arte Minerua:
Ars tua nunc Lechicas protegat ergo plagas.
Ferrum alij, doctum tu, pro mucrone, cerebrum
O MICHAEL, Lechiam quo tuearis, habes.

V. Sta-

V. STANISLAVS Sechini

Anagramma

INSTA SALVS.

DE Patre te naſci voluit natura Galeno,
Pallas Academicis creſcere fecit agris.
Pauit Ariſtoteles, Cicero te nutrijt, in te
Largus Caſtalium fudit Apollo vadum.
Ad tantas, INSTA, patriam connectere dotes
Artem; eris vna tuis, STANESILAE, SALVS.
Morbus erunt morbis, quæ tu dabis, argumenta:
Ore fluent ægris pharmaca pura tuo.

V. SIMON Olewnicki.

Anagramma.

MINOS.

ET Cocytus habet reddentem iura Minoëm:
Iuſtitiam Stygijs quis neget eſſe plagis?
Terra dolis, & mille, ſcatens, maleſana perîclis,
Minöem Stygijs inuidet ægra plagis.
Iuſtinianeæ tandem bene conſcius artis
SIMON, è docto Palladis ortus agro eſt.
Iam procul eſte doli, procul eſte pericula: SIMON
En alter Lechico naſcitur orbe MINOS.

V. ADALBERTVS Gladyſzewic.

Anagramma

ARTE BALDVS.

NON excitabo tuis ego Penatibus,
Alberte, gloriæ perennis indices,
Tholos: quot ipſis fida, vos, ô pectora,
Eſtis, tot eſtis quoq; coloſſi, patriæ
Iubar inclytum. Hoc è Seminario
Docti Catones prodiêre, Iudices
Æqui, notarij fideles, qui hactenus
Suis in munijs, ſtabili virent
Decore. Nec tu degener, veſtigijs
Inſiſte Máiorum, quibus ſemper fuit
Iuſtitia cordi, Iuriumq; ſcientia.
Lugere Baldum Iura ceſſabunt ſuum:
Adalberte, eris Arte Baldvs alter.

V. GEORGIVS Iaruzelſki.

Anagramma

GYRVS EGO.

QVicquid in orbe ferax tereti Natura creauit
Perfectum, clamant omnia, Gyrvs Ego.
En indefeſſo voluuntur ſydera Gyro:
Gyrum amat aër, humus; Gyrũ amat ignis, aqua.
Ars quoq; Naturam fortaſſe imitata magiſtram,
Gyro ſæpe ſuuum claudere ſueuit opus.
Teq;, Georgi, omni Pallas perfecit in Arte:
Iure potes de te dicere, Gyrvs Ego.

V. IGNATIVS Przesławſki.

Anagramma.

VSTA IGNI

O Vera Lauri vitis, IGNATI, cui
Licuit graues Laboris improbi minas,
Et aſperas ridere coêli iniurias!
IGNI VSTA, nec tamen peruſta es ignibus,
Quos admouebat fulminans curis Labor.
Preſſa imbre, nec tamen repreſſa es imbribus,
Quos inuidus ſpumabat Auſter in tuum,
Plenâ ſolutæ nubis alueo, ſinum.
Auita Lauri, pectori inſidens tuo,
Virtus, labores vincere docuit arduos.
Quod ergo tantis præmium curis dabo?
Te ipſum tibi fero Lauream. æternum vire.

V. JOANNE Godźiemba.

Anagramma.

EN JASON.

HVc agiles celeri pennas intende volatu
Iuſtinianeis, Hybla dicata, fauis.
In Iagellonio Laurus fœcunda Lycæo
Parturit en dulces ad tua caſtra fauos.
JOANNES fauus eſt. Lechiæq; renatus Iäſon.
Ingenio diues, diues & eloquio.
In ſaxis alij muros, at noſter Iäſon
Moênia facundo (quis putet?) ore gerit.

VV. ALEXANDER { Kwiatkowſki & Karwowſki.

SIſte tuum iactare Ducem Macedonia; ſiſte
Orbe ipſum toto non potuiſſe capi.
En ipſum nunc vna ſoli capit vrna, tenetq;
Verme triumphatos depopulante ſinus.
Horum at, quos cernis naſci de Pallade, viuet
Gloria fatali non peritura rogo.
Artem ego Marte volo hic maiorem dicere: ſæpe
Victor Marte graui, vincitur arte leui.

V. SIMON CAMPIANVS

Anagramma.

SPICA MANV.

HInc Honor, inde labor, ferus hic, ferus iſte, duello
Ancipiti vires expoſuêre ſuas.
CAMPIANVS huic pugnæ campus fuit, in quo
Victor vterq; hoſtis, victus vterq; fuit.
Inuidit dubijs Campum hunc Pax aurea bellis:
Hac illum ſpica deuouet ergo ſibi.

JN STEMMA ACADEMIÆ



Arcto connubij iugata nexu
Stent hæc Sceptra, ſuo quouſq; ſtabunt
Mundi clymata colligata vinclo.

Sub Felicibus auſpicijs
Magnifici & Admodum Reuerendi Domini
JACOBI VSTIENSIS,
S. Th. & I. V. Doctoris ac Profeſſoris, Cuſtodis
ad S. Florian. &c. Studij Crac. Generalis
RECTORIS.